

Illustri Viro  
Christ. Adolpho Klotz  
S. P. D.  
Andr. Lamey



Ex morbo quodam hiemali nondum plane re-  
stitutus ad humanissimas Tuas, Viri Amplissime,  
litteras serius, quam volueram, respondeo.  
Hospi in patria essem profecto, nisi Tuam,  
qua excellis, eruditionem, monumentaq; ejus  
publica nossem, ex quibus ingenium, iudicium,  
doctrina, facundia et quavis alia summa  
universis constant. Quare dici vix potest,  
quantam ipsa mellite Tuæ voluptatem mihi  
attulerint, propensum omnino in me meaq; quod  
nunquam sperare ausus sim, animum Tuum  
deklarantes, id quod inter precipua vite  
meæ decora merito ponam; quanquam is non  
sim, quem me esse pro summa Tua humanitate per-  
suadere mihi te velle videris.

Andreas Lamey

Lamey, Christoph. Gopfrath, Anst. in Bibliothek in Marburg  
1726. 1726 + 1802.  
Bibliograph. 1726 + 1802.  
1726. 1729. 1729.

De Vorckio, amico communi, quae rescribam, haec pauca habeo. a. 1762 quaestura publica, uti fertur, haud feliciter administrata, Coloniam Agripp. secessit, ibiq; Reiffenbergio atq; Harfhemio S. J. auctoribus, abiecto omni redeundi in patriam animo, clam sacra mutavit. Popularibus autem suis et quibusvis aliis id improbatum, quod fecerat, constanter occultavit imo querentibus plane negavit. Munitus hinc commendatitiis literis, ad sereniss. Electorem Palat. quem doctis et bonis omnibus miris favore noverat, Rhenum ascendit, ac sub initium mensis Junij in aula ejus primum apparuit Suetzingo. Tum vero consularum et praetoriarum patriae dignitates cum Consularij intimi et Historiographi Juliano Bergensis titulo comutavit, imo et nobilitatis diploma Electorale accepit. Haec et alia Principis sui novi beneficia ac virtutes data quavis occasione, ut in fundendis carminibus promptissimus erat, pie celebravit.

Instituta deia mense Oct. 1763 academia Scientiarum Mannheimij, propter quam ego vocatus Argentorato primum huc veni, Vorckius inter primarios ejus socios comparuit et in ipso inaugurationis actu Meditationem politico-historicam de felici integritatis ac prudentia in historia temperamento tradidit, quae curante Lydeno

comite paulo post Trajecti ad Rhenum typis excusa est. In sequentibus academiae congressibus de rebus criticis et philologicis diligenter legit, unde nata et illata est in primum auctorum acad. volumen Observationum criticarum atq; etymologicarum Sylloge.

Interea quum animo et corpore sese magis magisque labefactari sentiret, malis hisce aere natalem remedium fore sperans, annuente sereniss. Electore mense Jun. an. 1765 in Dynastiam Ravenssteinensem, Noviomago proximam, discessit, ibiq; ad vicum Uden in collegio Crucigerorum sedem fixit. Excurrit hinc in agros vicinos, ad marem adhuc superstitem, ad vitricum, fratrem aliosq; cognatos, quum casu quodam infelici duplicem brachij sui dextri fractionem patitur, cui sanandae annum fere integrum impendit. Die 20 Oct. 1766 his ad me verbis Udeno scripsit: « Nudius tertius primas a tridecim mensibus  
« literas scripsi, maxima cum difficultate, nec sine insigni  
« dolore meo. Nam ex horribili ista et fidem pene excedente  
« ruina tristes etiam nunc reliquiae restant, quae ut valetudo  
« mea magis magisque labascit (credo per istum casum tota cor-  
« poris compago dissoluta) vires acquirunt cuncto. Hinc creberrima

“ ille obstructions in meatibus urinaris, quae, uti summis cum tor-  
“ mentis, ita praesentissimo cum periculo sunt conjunctae, accidentibus  
“ praesertim motibus spasmodicis, uig. acerrimis, tum et ejectionibus, pro-  
“ Galiva, sanguinariis &c.

“ Sed et unico ante obitum suum mense, i. e. d. 18 Dec. 1768  
“ de valetudine sua questus est eundem in modum: “Vix  
“ credas quantis arumnarum aristibus affligatur haec miser.  
“ rimi corpusculi mei machina &c.

“ Abstulit eum irruens subita apoplexia d. 17 Jan. 1769,  
“ postquam de loco sepulturae et epitaphio sibi pro-  
“ spexisset. At neutrum accepit, sepultus in templo  
“ loci absq. inscriptione, quum in coemeterio publico  
“ sepeliri voluisset, prohibendam ab urbe et templis  
“ sepulturam esse cum multis aliis statuens.

“ Ceterum quidquid Tu, Vir. Illustris, ad Aca-  
“ demiam Palatinam miseris, id pergratum ei  
“ profecto erit ac valde honorificum. Vale.  
“ Dab. Mannheimij d. VI Apr. M DCC LXX.